

Σbc. 73.



16

DISSERTATIO TERTIA

DE

SERVIS VETERVM
FATIDICIS

ACTOR. XVI. 16

P R A E S I D E

IO. ERN. IMMAN. WALCHIO

ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSORE PVBLICO ORDIN
SOCIETATVM LATINAE IENENSIS DIRECTORE
ROMANAE ARCADVM ET FLORENTINAE
COLVMBARIAE SODALI

D. VIIIIL. MAIL. CIDIICCLXI

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMISSA

A

VALENTINO CHRISTOPHORO WAGNERO
MOENO-FRANCOFVRTENSI

I E N A E

LITTERIS SCHILLIANIS

16



DISSERTATIO TERTIA

DE

SECVS VETERVM

FATICIS

IN TOT ANS

PER ANS

IO. ERM. IMMAN. WALCHIO

PROFESSORIS PRAECEPTORIS
AC ACADEMICI IN UNIVERSITATE
ALMA MATERIAE SILEBurgiensi

DAVIDI HART. COUNCI

PUBLICAE LIBRARIAE DISPOSITIONE

EXCUSA

V. M. CHRISTOPHORO WALCHIO

MOENIO PRAECEPTORIS

IN

ALMA MATERIAE SILEBurgiensi






COMMENTATIO TERTIA

DE

SERVIS VETERVM FATIDICIS

ACTOR. XVI. 16

I

VAE adhuc a nobis disputata sunt, ad vatum veterum diuersitatem diuersaque eorum genera potissimum spectant. Quod quidem discrimen maxime in ipso, quo vsi sunt, *vaticinandi modo*, tum in *sexu*, cuius fuere, porro in *gente*, a qua originem suam deduxerunt, denique in *statu et conditione* eorum situm et collocatum fuit. Hanc si reputamus, vatum alios nobilioris, alios vilioris conditionis et plebeiae sortis fuisse, demonstratum est. Quoniam ancilla illa, ex qua Paullum spiritum fatidicum expulisse, LVCAS narrat, ad plebeiae sortis vatum genus pertinuit, de hoc imprimis copiose dictum atque ostensum est, saepius istiusmodi vatum in antiquis scriptoribus factam esse mentionem et sic quidem, vt ex collatis eorum inter se testimoniis haec potissimum de iisdem cognoscere, liceat: I eos haud vnus fuisse generis diuersaque iisdem nomina propter id esse tributa: II eos plerumque in circis, triuiis, vicis vrbiū et pagis commoratos publiceque vaticinatos esse: III ad aedes priuatas raro eosdem fuisse admissos, ac, ne hoc fieret, legibus cautum fuisse: IIII quaestus et victus parandi causa vates hos hariolatos esse. Neque vero et

A

id

id praetereundum est, id quod ex testimoniis supra adlatis abunde patet, V. vates eiusmodi plebeios vtriusque fuisse sexus. De viris, quaestum sibi hariolando facientibus, non est, quod fufe agamus; de feminis autem id, praeter supra explicata IUVENALIS verba, luculenter patet ex PLAVTIA) effato:

- - - du, quod dem quinquatribus
praecantatrici, coniectrici, hariolae atque aruspicae,

et ex iis, quae de sagis caute vitandis COLVMBELLA b) villicis praecipit: *baruspices sagasque ne admiserint*, addita ratione, quod *rudes animos ad impensas et flagitia compellant*. Erat enim plerumque vita earumdem inhonesta, turpis et flagitiosa sicque comparata, ut diuinationis aequae ac corporis sui quaestum facere viderentur, parumque fere discriminis interesset inter eiusmodi plebeiam hariolam et diobolare, ut PLAVTVS c) loquitur, scortum. Vnde non solum illa PLINII d) de Nerone spectant: *utinamque inferos potius et quoscumque de suspicionibus suis deos consulisset, quam lupanaribus atque prostitutis*, sic vero hariolas vocat, *mandasset inquisitiones eas*, sed etiam clarissimum eius rei documentum est meretricia vicinitas; in quam Romae dare se solebant istius generis hariolae, circus nempe; de quo IUVENALIS: e)

- et ad circum iussas prostare puellas,

et quem scorta et meretrices cum interdiu, tum maxime vespertino tempore frequentare solebant, vnde *submoenianae meretrices* ISIDORO f) sunt, quae ad moenianum aedificium in circo volutare seque tanquam turpia libidinis mancipia venales exponere solebant. Quamquam alii hoc de alio vrbis loco sub antiquis moenibus, a meretricibus haud secus, ac forum, frequentato, intelligere volunt. Res vtut sit, hoc certum est, circum lasciuiae et scortationis sedem Romae fuisse, ut ex LAMPRIDIO g) aliisque satis superque constat.

- a) *mil. glorioso act. III. scen. I. v. 95.* MARTIALEM *libr. III. epigr. 82. 2.* et
b) *libr. I. cap. 8.* XII. 32. 21.
c) *Poenul. act. I. scen. 2. v. 58.* g) *uir. Heliogabali, cap. XXVI. et XXXII.*
d) *libr. XXX. hist. nat. cap. 2.* Addatur ONVPER. PANVINIUS de *Iudis*
e) *sat. III. v. 65.* Circensibus *libr. I. cap. 8.* et IVL. CAES.
f) *libr. XVIII. originum cap. 42.* Sum- BVLENGERVS de *circo Romano, cap.*
moenianarum vxorum mentio fit apud LVI.

II

ADDIMVS VI. vates istos plebeios tam apud graecos; quam romanos a nemine fere; nisi a superstitiona plebe consultos; apud plerosque contra, qui magis sapere sibi videbantur, nullo loco habitos eorumque vaticinia haud pluris aestimata fuisse, ac aniles fabulae solent plerumque a sapientioribus aestimari. Cuius rei, vt de graecis quaedam dicamus, admodum luculentum perhibet testimonium EYRIPIDES: *b)*

ὅς ὀλίγ' ἀληθῆ πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει
τυχόν, ὅταν δὲ μὴ τύχη, διαίχεται,

vatem esse, inquiens,

*qui pauca vera, multa vero falsa dicit,
si forte sic acciderit, sin minus, arte elabitur.*

Alexandro idcirco hoc vitio dat CVRTIVS, *i)* quod, postquam, victo Dario, hariolos et vates consulere desiisset, rursus ad *superstitionem, ad humanarum mentium ludibria reuolutus*, Aristandro suo credulitatem suam addixerit eumque explorare euentum rerum iusserit. Itaque non soli fuere epicurei, qui diuinationem, vt ex CICERONE *k)* constat, sustulerunt; sic tamen, vt hi omne vaticinandi genus reieciisse, deosque futura hominibus patefacere, plane negasse, videantur, quum contra alii diuinationem veram a falsa et commentitia et quae quaestus caussa fiat, discernendam esse, arbitrati sunt. Eandem sententiam et apud Romanos, maximam saltem partem, viguisse, vatesque plebeios non; nisi apud infimam et superstitioni addictam plebem in honore, apud alios in summo contemtu fuisse, clarissima veterum scriptorum citata ac testimonia confirmant. ACCIVS *l)* poeta nihil credere se, ait, auguribus:

*nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant
alienas.*

A 2

ENNI-

b) Iphig. in aul. v. 956. sq.
i) libr. viii. cap. 7. §. 8. Addantur, quae de haruspicinae apud Graecos contemtu differit PITISCVS *notis ad Currium* libr. viii. cap. 4. §. 29. p. 726.
k) libro primo de diuinatione cap. 1.

sq. Adiungatur FRID. RAPFOLTVS *notis ad Horatium*, p. 1279. 1164.

l) *asynace*, cuius fragmentum PETERVS SCRIVERIVS cum reliquorum poetarum tragicorum fragmentis luce publica donauit. Lugd. Bat. MDCCXX. 8.

ENNIUS *m*) vero, ut supra audiuimus, non habere se nauci Marsum augurem, ingenue fatetur, vatesque hos plebeios superstitiosos impudentes, inertes, insanos vocat, qui fictas sententias quaestus tantummodo causa suscitarent. Quem animum VARRO *n*) habuerit erga istud hominum genus, vel ex iis, quae de aruspina in vniuersum sentit, haud obscure constare arbitramur. Is enim non solum otiosos; sed sordidissimos fuisse deos, opinatus est, si in iecorum et viscerum sterquilinio sua occutissent consilia, hominibus ab insanis sacerdotibus manifestanda, unde facile suspicari licet, tanto minori apud eum pretio errabundam istam vatium mendicantium turbam fuisse. CICERO ipse, etsi auguralem profitebatur disciplinam, et multum diuinationibus tribuebat; tamen huic arti fallacias, quaestum, superstitionem erroremque se immiscuisse, non solum aperte fatetur; *o*) sed inprimis quoque omnes illos, qui quaestus causa hariolarentur, sunt vero hi vates illi plebei, spernere se, non dissimulat, eamque in rem laudatos illos ENNII versus, quos supra expressimus, in medium adfert. *p*) Neque facile mirum, hanc sententiam Ciceronem fouisse, cuius tempore ipsa adeo celeberrima et summae auctoritatis oracula contemni coeperunt. *q*) Ac ipsum quidem Catonem iam ante Ciceronis tempora idem, si non de omnibus; de vilioris tamen fortis vatibus sensisse ac statuisse, documento esse videtur non solum iocus illius, mirum esse, aientis, si non rideret haruspex, haruspitem quum videret; sed etiam id ipsum, quod villicis supra praecepisse eum, audiuimus, ut ne consulant haruspitem, augurem, hariolum, chaldaeum, sine dubio propter vanam, ut COLVMELLA *r*) addit, superstitionem, qua rudes animi ad impensas ac flagitia compellantur. Haec sententia sapientissimorum hominum tempore liberae reipublicae de his hariolis fuit. Neque aliter iudicatum est a plerisque sub imperatoribus. TACITUS *s*) id haud obscure confirmat, qui *mathematicos*, quo numero

m) fragm. p. 228. edit. HESSELI.

n) vid. PITISCVM ad Curz. p. 726.

o) libr. II. de diuinat. cap. 41.

p) libr. I. de diuinat. cap. vltimo.

q) legantur CICERO de diuinat. libr.

II. cap. 57. FLVTARCHVS de defectu oraculorum p. 411. IYVENALIS sat. VI. V.

558. EVSEBIVS libr. V. praeeparat. euang.

p. 208. 14. Ex recentioribus ANT. VAN

DALE de oraculis cap. XVI. et HVETIVS

demonstrat. euang. prop. VIII. cap. 171.

f. 10. p. 638.

r) libr. I. de re rustica. cap. 8.

s) libr. I. histor. cap. 22.

mero et loco harioli et cuiusuis generis vates peregrini fuere, t) *genus hominum*, dicit, *potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra, vt ait, et vetabitur semper et retinebitur.* Veruit certe M. Agrippa aedilis, vt ex DIONE Cassio u) patet, Caesar Augustus, teste eodem scriptore, x) deinde TIBERIVS, qui, SVETONIO y) auctore, mathematicos vrbe expulit; haruspices vero, ordinarios nempe, vt videtur, et qui publica auctoritate constituti erant, non nisi publice consuli voluit, vt idem scriptor z) refert, qui et huius generis homines capite punitos a Vitellio esse, tradit. a) Tacemus, quae de senatusconsulto sub Claudio imperatore TACITVS b) et de VESPASIANO eam in rem DIO CASSIUS c) deque summo aliorum principum erga istiusmodi *mathematicos et vaticinatores* odio cum VLPIANVS; d) tum SVIDAS habent, itemque ea, quae de Regulo apud PLINIUM leguntur, fuisse hoc in eius vita merito reprehendendum, quod aruspices de actionis euentu anili superstitioe consuluerit, ex quo ipsius Plinii, quamuis auguris, de eiusmodi hariolis, qui plebi vaticinati sunt, sententiam haud difficulter diuinare licet. Quae contra eos sanxerit imperator Constantius, supra audiuimus, quibus alia eiusdem lex contra istud hominum genus data, addi debet, qua haruspibus, hariolis, auguribus, mathematicis omnibusque, artem aliquam diuinandi occultantibus, grauissima poena constituitur. e)

A 3

III

t) vide DIONEM Cassium, libro XXXVIII. cap. 43. p. 600. ed. ccl. REIMARI, coll. libr. LV. cap. 26. p. 824. libr. LVII. cap. 15. p. 861. et IO. ALB. FABRICIUM *not.* ad priorem locum DIONIS.

u) libr. XXXVIII. cap. 43. p. 600.

x) libr. LVI. cap. 26. p. 824. coll. TACITO libr. II. *annal.* cap. 32. et iis, quae de Anaxilao Larissaco, ab Augusto vrbe pulso, habet EUSEBIUS in *chronico*.

y) *vit.* eius, cap. XXXVI. coll. DIONE CASSIO libr. LVII. cap. 15. p. 861. et TACITO libr. II. *histor.* cap. 62.

z) *vita* eius, cap. LXIII. coll. DIONE libr. LXV. cap. 1. p. 1061.

a) *vita* eius, cap. XIII.

b) *annal.* libr. XII. cap. 52.

c) libr. LXVI. cap. 9. p. 1084.

d) libr. VII. *de officio proconsulis rit. de mathematicis et vaticinatoribus*, apud auctorem coll. *leg. Mosaic. rit. 15. de mathematicis.*

e) libr. VIII. *cod. Theodos. rit. 16 leg. 6. p. 133. ed. RITTERI.* Qui plura de senatusconsultis, edictis praetorum caesarumque augustorum, contra vates, hariolos, mathematicos promulgatis, scire cupit, legat GOTHOFREDUM *comm.* ad excitatam legem Constantii: IUSTVM LIPSIUM *excurs. in Tacitum libr. II. annal. cap. 32. LAELIUM BISCIOLAM libr. III. hollar. subsecuar. cap. VII. 10. ALB. FABRICIUM not.* ad DIONEM Cassium, p. 601. ed. ccl. REIMARI.

TANDEM VII. et hoc de vatibus plebeiis tenendum est, liberos alios et ingenuos, alios seruilis conditionis fuisse. Ingenuorum magna pars Romae olim et in prouinciis fuisse, videtur. Ac hi quidem sunt, quos supra diximus in pagis et triuiis; aut in urbium foris, Romae inprimis in circo, stensis, artisque suae futillis et fallacis quaestum facere studuisse. Ad vates seruilis conditionis quod spectat, non admodum multa litteris consignata apud veteres scriptores de iis reperimus; quae tamen relicta nobis sunt, rem ipsam, in mancipiis nempe et seruorum familia etiam hariolos et magicae artis peritos nonnunquam fuisse, extra omnem dubitationem ponere videntur. Nescio an huc referenda sit mulier illa Syra, quae apud Alexandrum fuit et de qua **ARRIANVS** f) haec memoriae prodidit: *Ἰερισβελος δὲ οὕτως ἀπέγραψε. Σύραν γυναῖκα ἑφομαστὴν Ἀλεξάνδρου, καύχων ἐκ τῶ θεῶν γνησιότητα, καὶ ταύτην τὸ μὲν πρῶτον γέλωτα εἶναι Ἀλεξάνδρου τε καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν. ὡς δὲ τὰ πάντα ἐν τῇ κατοχῇ ἀληθέυστα ἐφάνητο ἐκείνῃ ἀμελεῖσθαι ὑπ' Ἀλεξάνδρου, ἀλλ' εἶναι γὰρ τῇ Σύρᾳ πρόσδοτον πρὸς τὸν βασιλέα καὶ νύκτωρ καὶ μετ' ἡμέραν, καὶ καθύδοντι πολλὰς ἢ ἐπισήνας, Ἀριστοβούλου αὐτοῦ ἐστίν, mulierem quamdam Syram, numine correptam, Alexandrum sequitam. Atque hanc quidem initio et Alexandro eiusque amicis risui fuisse; quum vero in hoc numinis afflatu omnia vera vaticinaretur, non amplius ab Alexandro contentui habitam; sed liberum Syrae ad regem et noctu et interdum accessum factum fuisse ac saepenumero etiam dormienti adfuisse. Eadem certe huius Syrae ratio apud Alexandrum, quae alius ex eadem gente apud Marium, Alexandri forte ea in re aemulum, fuisse videtur, de qua **FRONTINVS**; g) **C. Marius** sagam quamdam ex Scythia, legendum: Syria, vt supra ostendimus, habuit, a qua se dimicationum euentus praediscere simulabat et **PLUTARCHVS**: h) καὶ γὰρ τῆς Σύρας γυναῖκα Μάρτην ὄνομα μαντεύουσαν λεγομένην ἐν Ορεσίῳ κατακειμένην σεμνῶς περιήγετο. Talis vates in ministerio Tiberii fuit, nomine Thrafsyllus, de quo **DIO CASSIUS**: i) τῷ Θρασύλλῳ αἰεὶ συνῶν καὶ μαντεῖα τιμὰ καθ' ἑκάστην ἡμέραν κηρώμενος, Tiberius cum Thrafsyllo assidue versatus et quotidie quadam diuina-*

f) *libr. III. de expedit. Alex. cap. 13. scriptorum rei militaris, edit. Vesal. p. 170.*

h) *vita Marii, tom. I. operum, p. 414.*

g) *libr. I. stratagem. cap. 11. p. 182. i) libr. LVII. cap. 15. p. 861.*

diuinatione vsus. Idem refert, praeter TACITVM, k) SVETONIVS, qui eum Tiberii comitem l) et ab hoc in contubernium adscitum m) fuisse, futurarum rerum scientiae sibi comparandae causa. n) memorat. Adeo, vt Thrasyllus hic similis fuisse videatur vatibus illis, quos Sparta aluit, et quos regum suorum ουσΑΝΕΓ voluit esse, vt CRAGIVS o) obseruat. Eiusmodi vates circa se quoque semper habuit VESPASIANVS, EDIONE Cassio p) auctore, in quibus vnus inprimis fuit, imperatori admodum gratus, Barbillus, idem forte, quem SVETONIVS q) Babilum, TACITVS r) Balbillum vocat. De Vitellio laudatus SVETONIVS s) refert, habuisse apud se mulierem Cattam, cui velut oraculo adqueuerit, sine dubio gerimanam, vt iam supra monuimus. Huc quoque a nonnullis referri solent, quae de pueris magicis apud APVLEIVM tradita legimus. t) Pueros autem hos feruilis conditionis fuisse, ad id ipsam a rei magicae peritis conquisitos et instructos, vt per eosdem vaticinia ederentur, non sine omni probabilitate creditur. Quo potissimum Nigidii pueri spectant, de quibus laudatus APVLEIVS u) refert, Fabium, quum quingentos denarios perdidisset, ad Nigidium consultum venisse, ab eo pueros carmine instructos indicasse, ubi locorum defossa esset crumena cum parte eorum, ceteri, vt forent distributi. Idem auctor, de alio quodam puero magico verba faciens, x) memini me, inquit, apud Parronem philosophum, virum accuratissime doctum atque eruditum, cum alia huiusmodi, tum hoc etiam legere: Trallibus de euentu mithridatici belli magica percontatione consulentibus, puerum, in aqua sanuacrum Mercurii contemplantem,

k) libr. vi. anal. cap. 21.

l) vita Augusti, cap. LXXXVIII.

m) vita Tiberii, cap. XIII.

n) vita Tiberii, cap. LXVII. coll. 10.

o) SEHO libr. XVIII. ant. iudaicarum, cap.

8. Legatur PITISCVS not. ad Sueron. p.

498. De Thrasyllo autem comparandi

sunt cum excitatis veterum scriptorum

effatus THEMISTIVS orat. XII. p. 270.

et scholiastes IUVENALIS, sat. VI. v. 576.

o) de republ. Lacedaemon. libr. II. cap.

9. p. 86

p) libr. LXVI. cap. 9.

q) vita Neronis, cap. XXXVI.

r) libr. XIII. anal. cap. 22. Adde
SENECAM libr. IIII. natural. quaestio-
num, cap. 2.

s) vit. Vitell. cap. XIII.

t) caue, ne confundas pueros magicos

eorumque diuinationes cum diuinationi-

bus, quas veteres ex verbis infantum et

puerorum, forte et casu prolatis, petere

solebant, de quibus ELSNERVS obs.

facris ad Marb. XXI. 16. et CHRIST.

BRVINGSIVS comp. ant. graec. cap. XXIII.

§. 14. p. 321. legendi sunt.

u) apolog. p. 301. edit. ELMENHOR-

STII.

x) ibidem.

plantem, quae futura erant, centum sexaginta versibus cecinisse. Ad hoc diuinationis genus, quod per eiusmodi pueros, a magis adhibitos, fit, respicere videntur verba TERTULLIANI: y) porro, si et magi phantasmata edunt, et iam defunctorum infamant animas, si pueros in eloquium oraculi elidunt, ad quae SIGEBERTVS HAVERCAMPVS, vt alia multa egregie, sic et hoc recte adnotauit, vocabulum *elidere* hoc loco idem esse, ac spiritum suffocare, aut vires alicuius prosternere. Patet id non solum ex alio eiusdem scriptoris effato z); si autem contenditis ad elidendos nos, iam ergo innocentiam expugnatis; sed etiam ex LACTANTIO PLACIDO, a) apud quem Iason Medeam rogat, vt parentem Aesonem senectute elisum in adolescentiam reduceret. Vt autem ad ipsos seruos nostros redeamus, diuersi hi fuisse generis videntur, pro ipso diuerso vaticinandi modo, quem supra descripsimus. Quemadmodum enim alii ex certis signis futura praecognoscere, alii *ἀνέρας* cum per somnia, tum singulari numinis adlatu atque instinctu vaticinari voluerunt, ita haud dissimilem seruilium vatum conditionem fuisse, ex antiquis scriptoribus et faxis literatis cognoscimus. Alterum genus eorum fuit, qui aruspices dicebantur, quos futura ex signis portentisque praemonstrasse, probabile est. Atque ad hunc numerum, nisi nos omnia fallunt, pertinet seruus ille, postea manumissus, C. Placorius, Caii libertus, qui, vt ex GRVTERO b) patet, Q. Caedii aruspex, hoc est Q. Caedio, quoties is sacrificium offerret, praesto fuit, ipsique ex victima vaticinatus est. Forte et huc referenda est alia inscriptio apud GRVTERVM c) et MVRATORIUM, d) incium tamen, vt videtur, ab illo iam editam eam fuisse. GRVTERVS eam sic exhibet:

L. FLAVIANO

ARVSPICILLI

CATICILLI

I VNIA. VXOR

MARITO. OPTIMO

MVRATO-

y) *apologetica*, cap. XXIII. p. 223, ed. HAVERCAMP.

z) ad Scap. cap. IIII.

a) *fab. II. p. 83f. ed. VAN STAVEREN.*

b) *inscript. p. CCCIII. 4.*

c) *p. CCIII. 3.*

d) *p. CLXXI. 2.*

MVRATORIVS autem legit: *L. Flauio haruspici Carcilli*, vultque ex Carcillo loci nomen facere, vbi Flavius ille haruspicinam professus sit. Videtur autem potius nomen viri fuisse, qui Flauiano aruspice vsus est, eadem ratione, qua Plaetorius Caedii haruspex dictus fuit. Sic et in nonnullis lapidibus ARVSPICES AVGVSTORVM apud MVRATORIVM e) et REINESIVM f); in aliis vero ARVSPICES PRIVATI g) commemorantur, id est, qui apud priuatos in ministerio fuerunt, vel his operas suas quasi locarunt et qui propter id a publicis aruspicebus, h) collegio aruspicum adscriptis, diferte distinguuntur. Ab his illi vates seruilis conditionis, qui alterum genus constituunt, sunt distinguendi, illi nempe, qui vel per somnia; vel afflatu atque instinctu diuino futura praedicere voluerunt. Serui cuiusdam, per somnia Mardonio domino vaticinantis, mentio facit PLVTARCHVS i): ὁ δὲ περὶ Θεῶν, inquit, εἰς Ἀμφιάρεω δῶλος ἔδοξε, κατὰ τῶν ὑπνῶν ὑπερέστη τῶ Θεῶ Φανεία πρώτον μὲν ἀπὸ Φουῆς ἐκβάλλειν ἀψὲν, ὡς τῶ Θεῶ μὴ παρόντος, ἐπειτα ταῖς χερσὶν ὠθεῖν, ἐπιμένοιοι δὲ λίθον ἐμμεγέθη λαβόντα τὴν κεφαλὴν καταΐζει, seruus autem, qui missus erat, a Mardonio, ad Amphiarai oraculum, per quietem videre sibi visus est ministrum dei, ab eo primum verbis se eici, fano deum abesse, dicente: deinde manibus pulsatum, quum perstaret, magno saxo ab eo in caput ictum esse. Alius serui magici, qui primum per somnia, deinde deorum ope, cum quibus loqui se simulauit, et quidem per ἐνθεσιασμόν futura praedicere voluit, meminit DIODORVS SICVLVS k), cuius verba quod nostrum de seruis veterum fatidicis argumentum egregie illustrant, hic adscribenda duximus. Sic vero ille: ἦν δὲ τις οἰκίης Σύρος, Ἀντιγένης, Ἐνναίς τὸ γένος, ἐκ τῆς Ἀπαμείας, ἀνθρώπος μάγος καὶ τεραστῆρος τὸν τρόπον. αὐτὸς προσεποιεῖτο Θεῶν ἐπιτάγματα καὶ ὕπνου προλέγειν τὰ μέλλοντα, καὶ πολλὰς διὰ τὴν εἰς τῶ τὸ γένος εὐφροίαν ἐξηπάτα. ἐν εὐθην προείων, ὃ μόνον ἐξ ὀνείρων ἐμαυτέω, ἀλλὰ καὶ ἐγγενερότως Θεοῦ ὁρᾶν ὑπεκρίβετο, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀκρίβειν τὰ μέλλοντα, Syrus quidam erat, seruus Antigenis Ennaei, in vrbe Apamea natus, homo arti magicae et praestigijs addictus. Hic instinctu iussisque deorum in somniis futura se praedicere fingebat multosque per id sollertiae

B

genus

e) p. CLXXI. 7.

f) class. v. num. 13. p. 360.

g) vide MVRATORIVM p. CLXXI. 7.

h) lege eundem, ibid. num 8.

i) de def. orac. tom. II. oper. p. 412. coll. p. 434. vbi similis historia de liberto quodam narratur.

k) libr. XXXVIII. ecl. 2. p. 526. ed. ecl. WESSELIINGII.

genus decipiebat. Hinc ulterius progressus non ex somniis tantum ora-
cula promebat; sed et vigilantem se deos videre ac futura ex illis audire,
simulabat; paucis vero interiectis: διὰ τινὸς μηχανῆς πῦρ μετὰ τινὸς
ἐνθουσιασμῶ καὶ φλόγα διὰ τῆς σέμας ἤφισι, καὶ ἔφα τὰ μέλλοντα
ἀπεφίβαζεν, artificia quodam et flammam ex ore mittebat, atque ita
de rebus futuris, ceu Phoebi numine afflatus, id est, vt vates furibun-
dus, siue per ἐνθουσιασμὸν, vaticinabatur. Addit deinde DIODO-
RVS l), seruum hunc in rebus arduis suscipiendis de euentu con-
sultum esse et responsa dedisse. Idem de hoc seruo, cuius etiam
AMMIANVS MARCELLINVS m) mentionem fecit, refert FLORVS n)
iplique fanaticum furorem tribuit: syrus quidam, nomine Eunus, fa-
natico furore simulato, dum Syriae deae comas iactat, ad libertatem et
arma seruos quasi numinum imperio concitauit. Merito his de ser-
uis fatidicis testimoniis adiungimus aliud haud minus insigne ex
VLPIANO. Si seruus, inquit, o) inter fanaticos non semper caput iacta-
ret et aliqua profatus esset, an uibilominus sanus videretur, paullo post
vero p): quamuis aliquando quis circa fana bacchatus sit et responsa
reddiderit; tamen, si nunc hoc non faciat, nullum vitium esse, paucis de-
inde interiectis: ceterum, si uibilominus permaneret in eo vitio, vt cir-
ca fana bacchari solet, et quasi demens responsa daret, etiamsi id per
luxuriam factum est, vitium tamen esse, sed vitium animi, non corporis.
Erant Romae sacerdotes Isidis, matris deum, Cybeles, Bellonae alio-
rumque peregrinorum numinum, qui furore quodam, vt creditum
olim fuit, diuino correpti vaticinari solebant, more bacchantium; siue
quod idem erat, hominum furibundorum, haud secus ac si mente
capri sanaeque rationis haud compotes essent. Dicuntur fanatici q)
fitque eorum aliquoties apud priscos auctores inque his et apud AE-
LIVM LAMPRIIVM r) mentio: iactauit autem caput inter praecipuos fa-
nati-

l) ib. p. 547.

m) libr. XIII. cap. II. p. 68.

n) libr. III. cap. 19. §. 4.

o) leg. I. §. 7. de asililio edicto.

p) ibid. §. 10.

q) de his fanaticis legantur HERAL-
DVS ad Arnobium, p. 21. BRISSONIVS
libr. II. antiqu. slect. cap. 13. docu inter-
pretes VLPIANI ad legem, paullo supra
excitatum: CASABONVS nor. ad Lam-

pridium, vita Heliogab. cap. VII. "PETA-
COLVIUS nor. ad Apuleii metam. p. 108.
SALMASIVS de coma, p. 34. 35. VOSSIVS
libr. I. de idol. cap. 20. RYPERTVS ad
Florum, p. 554. DVKERSVS ad eundem,
p. 591. REINESIVS inscription. p. 761. VOS-
SIVS etymol. voc. fanum, p. 238. SPONIVS
miscellaneis erud. ant. p. 30. GOTHOFRE-
DVS ad leg. III. cod. Theodof. de ma-
lef. et marbem.

r) vit. Heliogab. cap. VII.

naticos et genitalia sibi deuinxit et omnia fecit, quae Galli facere solent.
IUVENALIS 5):

- *et crine senex fanaticus albo,*

et alio loco 6):

*non cedit Veiento, sed ut fanaticus, oestro
percussus, Bellona, tuo diuinat,*

id est, quemadmodum solent bellonarii futura vaticinari, sic et Veiento futura praedicuntur. LVCANVS u):

- *tum, quos sectis Bellona lacertis
saeva mouet, cecinere deos crinemque rotantes
sanguineum populis ulularunt tristia galli,*

id est, sacerdotes matris deum, qui crinem rotare dicuntur, quod passis crinibus et crebra capitis quassatione insanientium more iuxta sana deorum suorum cursitare ac vaticinari, vel *carmen fanaticum*, vt LIVIUS x) habet, canere solebant. Vnde intelligimus, quid sit *capillatus a matre magna* in antiquo lapide apud GRVTERVM y). QVINCTILIANVS z): *iactare caput et comas rotare, fanaticum est*; IULIUS autem FIRMICVS a), de his fanaticis loquendi occasione sibi facta, *faciet*, inquit, *homines templorum obsequiis deputatos, (fanaticos,) qui latentis diuinitatis instinctu, mutato mentis ordine et instantis religionis potestate possessi petentibus hominibus futura praedicant.* Quoniam eiusmodi fanatici plerumque sacerdotes et cultui numinis supra dictorum addicti fuere, dicuntur proinde in *glossis* PHILOXENI: *ιεραστοι ιεγοδωλοι*, a MARTIALE b) autem, quod numinis afflatu et instinctu vaticinari credebantur, *εβδοοι*. Mentio quoque eorum aliquoties fit in priscis lapidibus, nominatim in marmore apud GRVTERVM c) et SPONIUM d), quo L. Cornelius Ianuarius FANATICVS AB ISIS SERAPIS AB AEDEM BELLONAE vel, vt GRVTERVS habet: AB EADEM BELLONAE, forte:

B 2

aede

5) sat. II. v. 112.

6) sat. III. v. 123.

u) libr. I. pbarfal. v. 565. vide ad hunc locum PETRVM BYRMANNVM.

x) libr. XXXVII. cap. 18.

y) vide CASAVBONVM notis ad Lamprid. vir. Heliogab. p. 806.

z) libr. II. cap. 3. p. 1014. ed. BYRMANNI.

a) libr. VI. mathem. cap. 31.

b) vide 10. BRITANNICVM notis in Iuuenalem p. 492. ed. HENNINII.

c) p. CCCXXII. num. 7.

d) miscell. erud. ant. p. 30.

aede nuncupatur, quemadmodum Severus quidam apud REINERSIVM *e*) FANATICVS EX VICO BELLONAE, et Q. Caecilius apud GRUTERVM *f*) FANATICVS DE AEDE BELLONAE et alius quidam fanaticus apud eundem *g*) EX VICO BELLONAE dicitur. Non iamen solum, qui sacerdotio cuiusdam numinis addicti furore *μανία* correptos se esse, simularunt, fanatici dicti sunt; sed nomen hoc omnibus quoque fuit tributum, qui diuino afflatu et instinctu, in furorem quemdam acti futura praedicere credebantur. Supra *h*) id iam obseruatum est, nec exempla, quae id confirmant, in antiquis scriptoribus desunt, cum a lexicorum conditoribus, tum ab iis, quos paullo ante *δ*) laudauimus, operose congesta. Bacchari vero dicebantur eiusmodi vates ratione modi, quo vaticinia proferebant, habita, qui bacchantium furori admodum similis olim fuit. Quibus positus, facile illustrari possunt, quae supra ex VLPIANO de feruis fanaticis adscripsimus. Adpellat enim eos iurisconsultus fanaticos, non quod sacerdotes fuerunt; sed quod iisdem nonnulli se olim immiscuisse, et haud secus ac illi, futura, quasi a numine quodam agerentur, praedicere voluisse, videntur. Quod quum solito more facerent, id est per furorem et cum crebra capitis agitatione, vocabulo ideo *bacchari* vsus est et ipsi capitis agitationem tribuit VLPIANVS. Dicit vero hoc *vitium*, quoad ministerium cogitamus, quo ferui eiusmodi rite fungi haud poterant, qui eiusmodi animi labe infecti, a deo quodam se obsessos et ad fana deorum, ad fanaticorum reliquorum coetum et ad vaticinia compelli, opinabantur. Alius ferui mentionem facit PORPHYRIVS *k*), qui magicis eiusmodi feruis est adscribendus, vt de iis taceamus, quae ea de re apud CEDRENYM *l*) leguntur.

III

ex his veterum scriptorum testimoniis, cum id ipsum, quod hac in causa praecipue volumus, nempe in feruorum veterum familia nonnunquam etiam hariolos et magos fuisse, tum et alia, quae ad horum feruorum rationem et conditionem spectant, luculenter probari posse, arbitramur, imprimis, si cum ipsis his effatis nonnul-

e) *class. XIII. num. 139. p. 761.*

f) *p. cccxiii. l.*

g) *p. 19 cl. l. 6.*

h) *comm. 1. §. v. p. xiii.*

δ) *vid. supra p. x. not. 9.*

k) *libr. III. de abstinencia.*

l) *in Michaele Europalasa.*

nonnulla alia rite conferamus. Omnia, quamquam breuiter, distincte tamen et adcurate persequemur. Primum ex adlatis his testimoniis, seruos hos magicos duplicis fuisse generis, alios ad futurarum rerum praedictionem adhibitos esse, *m*) alios vero magiae dedisse operam, satis pater. Ac hi quidem, *serui magici* per eminentiam dicti, diuersi fuisse videntur. Alii enim incantatores fuerunt, alii praestigiatores. De illis loqui videtur APVLEIVS et TERVLLIANVS *n*); de his vero, siue de iis, qui artificiosa velocitate alisque eius generis fraudibus oculorum sensus fallere didicerant, et ad quorum numerum etiam *sacularii o*) pertinent, ea videnda sunt, quae supra a nobis de praestigiatoribus veterum sunt exposita. Inprimis huc pertinent fraudes serui illius, quem *regalazeyov* adpellat DIODORVS *Siculus p*) et de quo FLORVS *q*), eandem praestigiatore huius artes narrans, *vt diuinitus*, inquit, *fieri eius vaticinia, probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure et igne stipauerat, leniter inspirans flammam inter verba fundebat.* Deinde de seruitute horum hariolorum merito quaeritur, qua ratione in istam uenerint. In prisca scriptoribus, nominatim apud ATHENAEVM *r*), non desunt exempla eorum, qui sponte subierunt seruitutem eamque libertati anteposuerunt; quum vero id plerumque ab iis factum est, quibus praeter seruitutem nullum aliud vitae sustentandae praesidium relictum esse videbatur, vllum hariolum sponte dominum quaesuisse ac seruili se iugo submisisse, merito dubitatur. Habebant enim artem, ex qua si non laute, non admodum tamen misere viuere poterant. Videntur potius per captiuitatem locum obtinuisse in seruorum veterum familia, non solum quum gentes, bello captae, inque his et harioli ac vates, more veterum bellico, venales exponerentur *s*); sed etiam

B 3

m) vatibus enim etiam magorum nomen est tributum. Luculenter id, praeter alios, ex TACITO pater *libr. xvi. anal. cap. 30.* quo Seruilia magos dicitur consuluisse, id est, interrogasse de incolumitate domus alisque rebus futuris. Idem narrat XIPHILINVS *libr. LXII. p. 713.* vocabulo *μαγιστράδων* usus.

n) locis supra excitatis, cum quibus comparari possunt, quae magno lectionis et eruditionis adparatu de incantamentis

veterum commentatus est GOTHOFREDVS ad codicem Theodosianum tom. III. p. 126. 127. ed. RITTERI.

o) videatur TITVS POMPVS *de operibus seruatorum*, p. 54.

p) *libr. XXXIII. p. 526.*

q) *libr. III. cap. 19. §. 5.*

r) *libr. VI. de praescriptis cap. 18.*

s) videatur TACITVS *libr. III. anal. cap. 46. §. 4.*

etiam quum exercitum sequerentur, ac fato quodam aut victo duce in hostium potestatem venirent. Comitari enim saepenumero exercitum solebant vates. Exemplum praebent luculentum vates Alexandri a quod CVRTIVM *t*) inque his inprimis Aristander, dignus regi visus, quem semper apud se haberet, quum ad bellum proficisceretur *u*) itemque Demophoon *x*) et Syra illa mulier, cuius iam supra ex ARRIANO *y*) mentionem fecimus. Marium sagam quamdam, ex qua praeliorum euentum praecognosceret, apud se semper in castris habuisse, supra audiimus, ne de auguribus castrifibus eorumque peculiari ordine, augurum nempe pullariorum, qui ex pullis diuinare in bello solebant, dicamus et quorum in hoc lapide apud THOMAM REINESIVM *z*) mentio fit:

T. CORVNCANIVS. T. F. VOGONTIVS VI VIR. AVGVST.
AVGVV PULLARIVS LEG. V. cet.

ex quo non solum, quamlibet legionem suam olim pullarium augurum, vel etiam plures, habuisse, patet; sed licet etiam alium lapidem *a*) ex illo restituere, cuius verba: AVGVV.....IVS sine dubio eodem modo, nempe AVGVV PULLARIVS sunt legenda. Apud CICERONEM *b*) Quinctus frater, *quis non videt*, inquit, *in optima quaque republica plurimum auspicia et reliqua diuinandi genera valuisse - neque solum in pace; sed in bello multo etiam magis, quo maius erat certamen et discrimen salutis.* PLVTARCHVS augures et aruspices Pompeii et Caesaris; AMMIANVS autem eosdem Iuliani exercitum sequutos esse, referunt. Alii idem de aliis imperatoribus et ducibus solent commemorare, vnde numerum eiusmodi augurum et haruspicum plerumque haud paruum in exercitu fuisse, conicere licet. *c*) De aliis vatibus et hariolis idem dicendum est, qui in castris frequenter esse et a militibus de praelii euentu consuli solebant.

De

t) libr. III. cap. 6. §. 12.

u) vide ARRIANVM de exped. Alexandri magni, libr. III. cap. 1. p. 109. et CVRTIVM libr. III. cap. 2. §. 14. et cap. 6. §. 12.

x) conf. CVRTIVS libr. VIII. cap. 4. §. 28.

y) de exped. Alex. libr. III. cap. 13. p. 170.

z) class. vi. n. 35. p. 410. coll. GVDIO inscrip. p. LXXXVIII. 3. et MVRATORIO p. DCCLXXXVIII. 9.

a) apud GRVTERVM p. CCCIII. num. 4.

b) libr. I. de diuin. cap. 43.

c) fuit et singulare auguraculum, augurale et auguratorium alii dicunt, in castris prope imperatoris tabernaculum, de quo IVSTVS LIPSIUS libr. II. de mil. rom. dial. 12. p. 105. libr. v. dial. 2. p. 244. RADB. HERM. SCHELIUS nos ad Hygin. p. 52. legantur.

De his loqui videtur Aurelianus imperator apud VORISCVM d) in egregia illa de disciplina militari epistola: *alter alteri quasi seruus obsequatur, aruspibus nihil dent, in hospitiiis caste se agant, qui literas fecerit, vapulet.* Vult nempe imperator, vt haruspices nihil a militibus accipiant, ne forte ad gratiam eorum loquantur vanisque suis coniecturis animos eorundem nimia fortunati euentus confidentia securos; aut, quum infausta praedixerint, timidos faciant e). Quid vero necesse fuisset, aruspicum licentiam hoc mandato coercere, nisi id hominum genus apud exercitum fuisset. Res vtut sit, vates eiusmodi saepe in hostium venere potestatem. VALERIVS MAXIMVS f): *quod priusquam legati venuntiarent, aruspex Veientium a milite vestro, quia domestici interpretes deerant, raptus et in castra perlatus futurum dixerat.* Idem Velleda, fatidicarum inter Germanos mulierum facile princeps et summae in hac gente auctoritatis, suo exemplo satis confirmat. Hanc enim tempore Domitiani in captiuitatem venisse, verba STATII: g)

captiuaeque preces Velledae,

satis declarant, essi, quo tempore; aut quo bello capta a romanis fuerit, certo dici haud potest. h) Vnde facile patet, qui factum sit, vt inter seruos veteres nonnunquam eiusmodi vates deprehenderentur.

V

DE pretio porro horum seruorum, qui vaticinandi facultate praediti suere, haud immerito quaeritur, quale fuerit. Pretium pro nationis et gentis diuersitate, ex qua serui fuerunt, proque diuerso vtilitatis, quae ex his mancipiis speranda erat, gradu admodum fuit diuersum. Si qui literis imbuti, qui ex natione peregrina erant, ingenii laude apud romanos florente, qui corporis et dicerant, vnde dominus quaestum facere; aut magnam sibi in re familiarum vtilitatem promittere poterat, hi omnes permagni plerumque sole-

d) vid. Aurel. cap. vii.

e) vid. IUL. CAES. BYLENGERVS de fortibus, cap. vi.

f) libr. i, cap. 6.

g) libr. v. silu. 4. v. 90.

h) vid. CASP. BARTHIVM notis INSTANTIVM p. 125. IO. KEYSLERVM antiquis septentrional. p. 472. IO. ALB. FABRICIVM not ad Dionem Cassium, p. 1105.

solebant esse pretii. *z*) Hoc in caussa fuisse videtur, quare vnus seruus duos dominos simul et vno tempore habuerit. Quodsi enim pretium admodum magnum erat, videntur bini simul fuitus olim praestitisse iunctimque seruum emisse, lucrumque, ex eius arte factum, inter se distribuisse. Neque vero non vsu venire solebat, quum serui tanquam singulare peculium cederent hereditibus, vt, si inter illos erat, *multis millibus*, vt *IVVENALIS k)* ait, *emtus*; aut alias ob causas permitti vni heredi haud poterat, neque reliqui, vt permitteretur, volebant, is communis maneret, pluriumque mancipium fieret. Non igitur mirum, si in antiquis monumentis vnum seruum duos dominos; aut vnum libertum duos patronos habuisse, aliquoties legamus. Lapis vetus apud *GRVTERVM: l)*

D. M.

L. AGRIO

SYNTROPHO

LIBERTO OPTIM

L. AGRICINIANVS

ET PIVS PATRONI

quo Lucii Agrii fratres, Licinianus alter, alter Pius cognomine, liberto suo L. Agrio Syntropho monumentum ponunt. Aliud saxum apud *REINESIVM m)* Luciliae Ianuariae meminit, quae Luciliorum, Chryserotis et Festae, liberta fuit. In alio lapide apud eundem *n)* Rubria legitur *liberta duorum Titorum*. Vnde vir summus inscriptionem mancam, *o)* quae voces: *FLOR. CAE. C. L. IARV* praefert, optime corrigere se posse, putat legendo: *FLORVS CAECILIORVM*, scilicet *seruus*. Eo spectat et hoc marmor apud *FABRETTVM p)*.

TERTIVS QQ. NVNNIORVM

LVNENSIS. ET MONTANI sc. seruus itemque, duo alia, alterum apud *MALVASIAM: q)*

Q. COR-

z) conferantur inter se. *effata IVVENALIS sat. v. v. 60 sat. xi. v. 148. SVETONIVS de claris vbet. cap. i. vit. Caes. cap. XXXVIII. VARRO de lingua lar. viii. p. 52. VLPIANVS leg. XXI. §. 21. digest de aedil. edict. et ea, quae de hac re dicta sunt vol. II. actor. soc. lar. ienens. p. 162. et 177. et PIGNORIO de seruis, p. 183. 184. coll. 174.*

k) *sat. v. v. 52.**l)* *p. 100000000. 10.**m)* *class. xviii. inscr. 29.**n)* *class. vi. inscr. 81.**o)* *class. xviii. num. 16. p. 886.**p)* *inscript. domest. p. 40. num. 202.**q)* *marmor. Felsin. p. 418.*

Q. CORNELIVS
Q. ET. C. L. NICEPHOR
SAGARIVS

alterum apud BERTOLIVM: r)

SILVANO
AVG
C. STATIVS
C. ET. L. LIBE
EVTICHVS
MANIANVS
V. S.

vt de reliquis exemplis taceamus.

VI

VERVM et de hoc *denique* quaestio adferenda esse videtur, quae causa fuerit, cur veteres nonnunquam in seruorum familia magicos et speciatim vates ac hariolos habere voluerint. Praeter rei familiaris vsum serui quoque lucri et voluptatis causa haud raro emi apud veteres solebant. Opifices, mercatores, negotiatores habuere olim officinas, seruorum plenas, qui opificium aliquod didicerant, cuius vsu quaestum facere solebant illi, qui eiusmodi seruos coemerant. Serui hi generatim *officinarii* dicuntur, quales illi fuere, qui in tubulorum plumbeorum officina olim opus fecere apud IANVM GRVTERVM. s) Speciatim ab opificio, cui se addixerant, solent nominari, suntque proinde tot diuersa eorum genera, quot tabernarum et officinarum fuere, in quibus merces vel praeparari, vel vendi olim solebant. Sic *Scholastest* ARISTOPHANIS r) notat τὰ ἐργαστήρια δέλων βυροδεψῶν, officinas, in quibus a seruis coria praeparabantur; ipse vero poeta seruos Demosthenem et Niciam in scenam producit, u) opus in eiusmodi officina facientes ac de domini sui duritate conquerentes:

C

- - vōv

r) *auricbit. d' Aquileia*, p. 103, num. 82.
s) P. CLXXXII. 9. CLXXXIII. 3. addeq. MV-
RATORIVM P. CCLXXXIII. 2.

z) *equiv.* v. 44.

u) *ibid.* v. 40.

- - νῶν γὰρ ἐστὶ δεσπότης
 ἄγχιος ἐγγήν, κυμασῆσῶς, ἀνεράχολος,
 δῆμος πυκνίης, δύσκολον γερόντων,
 ἠπόκωφον, ἔτος τῆ προτέρα νεμνία
 ἐπρίασο δῆλον, βυρσοδέψην παφλαγόνα,

- - est berus nobis ira serox,
 esor fabarum, biliosus, vir tribu
 Pycnenfis, morosum difficileque senium,
 surdastrum, qui superiori uouilunio
 emit Papblagona conseruum coriarium.

Neque ipsi tantum opifices; sed etiam alii, etsi ipsi tale opificium haud didicerant, officinas instituebant inque his seruos aiebant, ex quorum opere et arte quaestum facerent. De Demosthenis patre referunt veteres, seruos eum habuisse, qui enses et gladios essent fabricati. Crassus apud romanos seruos aedificatores habuit, aedes collapsas coemit, hisque per seruos reparatis, permagnum quaestum fecit x). Seruorum eiusmodi opificum saepe apud veteres fit mentio, quorum VLPIANVS y) nonnullos memorauit. Licet, inquit, mercis appellatio angustior sit, ut nec ad seruos fullones vel sarcinatores, vel textores vel uenaliarios pertineat, tamen Paedius scribit, ad omnes negotiationes porrigendum edictum. Inprimis uero in seruorum familia negotiatorum apud MARCIANVM, z) institorum apud PROPERTIUM a) circitorum in antiquo lapide, b) cleariorum in alio apud GRUTERVM c) fullonum saepius, d) linteonum apud PLAUTVM, e) textorum apud SVETONIUM f), sutorum apud MARTIALEM g) fit mentio, ut de pluribus aliis taceamus. Qui quidem omnes in seruorum familia non tantum a dominis suis ad rei familiaris usum; sed etiam in

x) uideatur ISAAC CASAVBONVS not. ad Aristoph. p. 93. Remnius Palacmon grammaticus Romae officinas habebat uestium promercalium ut refert SVETONIUS de ill. gram. cap. XXIII.

y) leg. i. de tribut. act.

z) leg. 65. dig. de leg. 3.

a) libr. III. eleg. 2. coll. MVRATORIO P. ICCCCXXXV. 7.

b) apud PIGNORIUM de seruis p. 173.

c) p. ICCCXXXVI. 9. coll. MVRATORIO

P. ICCCCXXXI. 5. ICCCCCLX. 3. 6.

d) uide CHRIST. SCHOETTGENII antiquitates riturae et fulloniae, Ultra. CI. ICCCXXVII. 8.

e) autul. act. III. scen. 5. v. 38.

f) de illustr. gramm. cap. XXIII.

g) libr. III. epigr. 75.

in officinis quaestus causa et propter mercaturam adhibiti olim fuisse videntur. Idem de varii generis ancillis, imprimis de sarcinatricibus, textricibus, lanipendis, lanificis statuendum esse, videtur. Neque vero, ut probabile est, alia fuit ratio seruorum in aliis officinis et tabernis, quales pistoriae, vnguentariae, purpurariae, argentariae aliaeque fuerunt. Ab eiusmodi seruis diuersi erant, qui non tam lucri; quam voluptatis causa in diuitum aedibus olim reperiebantur. Quamquam haud plane id ego negaui, utrumque saepe in vno seruo locum potuisse habere, ut et voluptatis et lucri causa simul adesset, et hoc ipso, quod alios delectaret, quaestum simul dominus ex eo faceret. Res quomodocunq; se habeat, ad seruorum, qui voluptatis potissimum causa olim adhaere, numerum iure meritoque referendi sunt *gladiatores* apud TACITVM b), et *QVINCTILIANVM* i), *agitatores* apud SVETONIVM k), *funambuli*, quos *scboenabatas* IUVENALIS, l) *funirepos* APVLEIUS m) dicunt, apud LABEONEM, n) *palaestritae* apud MARTIALEM o) *biftriones* apud VLPIANVM p) aliique plures. q)

VII

IAM vero haud immerito quaeritur, ad quem censum serui magici veterum pertinuerint, utrum propter quaestum habiti sint, an aliam forte ob causam? Nisi omnes nos rationes fallunt, eius rei causa apud nonnullos in lucri cupiditate, apud alios in superstitione aliqua, nonnunquam forte et in voluptatis quodam genere quaerenda esse videtur. Quum enim eiusmodi harioli, qui liberi homines erant, vocem suam quasi venalem habuerunt, et mercenaria opera vaticinarentur, dubitari certe haud potest, eosdem, seruos factos, quaequid lucrati diuinationibus suis sunt, id omne in quaestum dominorum suorum cessisse, praesertim quum seruis nihil proprium fuit apud romanos; sed omnia ad eius, cuius mancipia erant, usum atque emolumentum traducerentur. Nullum igitur prorsus est dubium, si athletici et scenici seruorum labores domi-

C 3

nis

b) libr. I. annal. cap. 23. §. 1.

i) declam. viii. p. 153.

k) vir. Calig. cap. LV.

l) sat. iii. v. 77.

m) florid. p. 342.

n) leg. penult. de acc. emt.

o) libr. vi. epigr. 39.

p) leg. I. dig. de oper. libere. et leg. 19.

§. 1. de usufruct. et quemadm.

q) legatur LAVR. PIGNORIS de seruis

P. 173. et TIT. FORMA de oper. seruor.

p. 64.

nis admodum quaestuosi fuere, eandem quoque rationem seruorum magicorum et fatidicorum fuisse, imprimis in iis ciuitatibus, ubi multum tribui solebat praesagiis et eiusmodi anilibus vaticiniis, tum et apud eos dominos, qui necesse habebant, si talis forte ipsis contigerat seruus, rei familiaris lacunam eius ministerio *magis* explere. Sed superstitione quoque in causa haud raro fuisse videtur, cur adsciti vates fuerint in seruorum familiam, vel quod ipse dominus ea animi imbecillitate laborabat, ut eiusmodi futilibus hariolationibus vim aliquam tribueret, vel propter plebem, cuius superstitionem vaticiniis alere eiusque credulitatem in suam utilitatem transferre, mirifice olim reges et principes didicerant. Duplex igitur superstitione, modo propria, modo aliena in seruorum numero id vatum genus transtulisse, videtur. De propria dubitare nos non sinunt non solum ea, quae in antiquis lapidibus de *seruis a sacris, seruis a sacrario* *r*) larum sacris horumque praefectis *s*), de pueris, qui curae larium cubiculi adsisterent, *t*) deque aliis larium ministris; *u*) sed etiam, quae apud veteres de priuatis oraculis legimus et quae operose congescit DAN. CLASENIUS *x*). Quod vero ad alienam spectat, quam ex ciuili prudentia imperatores, reges ac duces veteres haud raro eiusmodi praedictionibus fouere sui commodi causa studuerunt, omnia fere, quaecunque de veterum romanorum auguriis et auspiciis, de consultis oraculis et libris sibyllinis memoriae mandata legimus, maximam saltem partem, superstitionis plebis causa, quae eiusmodi rebus saepe magis, quam sana ratione mouetur, instituta esse, extra omnem dubitationem est positum. *y*) Proinde FRONTINVS *z*) strategematibus Marrii sagae cuiusdam usum adnumerat, a qua se dicationum euentus praediscere, simulauerit, id quod et Alexander quodammodo fecisse, videtur. Qui etsi ipse CVRTIO superstitionis suspectus aliquoties esse videtur, ob id ipsam, quod nihil nisi consultis vaticibus egerit ac susceperit, tamen militum potius; quam sua causa, saepe

r) vide GRVTERVM p. CXXI. l. coll.

MVRATORIO p. CLXXXVII. 3. IOCCCLXXXIII. 6.

s) lege SVETONIVM *vir. Domitian.*

cap. xvii.

t) *ibid.*

u) vide GRVTERVM p. CIOCLXXXVIII. 14.

x) de oraculis gentil. *libr. I. cap. 12.*

p. 79. seq.

y) vnicum hoc loco exemplum in re

tam clara et manifesta adduxisse sufficiat

ex DIONE CASSIO *libr. LV. cap. 31.*

z) *libr. I. cap. 11. p. 182.*

faepe hoc fecisse, ex ARRIANO a) quodammodo licet suspicari. Videntur tamen nonnunquam domini oblectationis quoque gratia seruis suis magicis et fatidicis vti esse. Saltem id probari potest Euni serui exemplo, de quo supra ex DIODORO Siculo b) commentati sumus. Auctor enim εἰς δε γέλωτα, inquit, τρεπομένη τῆ πράγματι, ὁ μὲν ἐν Ἀντιγένεος ψυχαγωγούμενος ἐπὶ τῆ τερατεία παρήγγε τον ευνὸν εἰς τὰ σύνδειπνα καὶ ἀσπῶτα περὶ τῆς βασιλείας cet. τῆ δὲ ἀλλεῖ πῶς ἀπαντα διηγούμενε καὶ ὡς μετρίως κηρήσειαι, τοῖς κυρίοις καὶ τὸ σύνολον, ποιήλωσ τεράσειομένε, γέλωτεσ ἐγίνωστο τοῖσ πανανευλημένοις, quum autem in risum ea res verteretur, ea scilicet, quae Eunus sibi de adipiscendo regno vaticinatus fuerat, *Antigenes ex prodigijs hisce nugis voluptatem hauriens, Eunum ad conuiuia secum ducebat, et de regno interrogabat, quod sibi nempe polliceretur. Ille, non vacillante sermone cuncta exponens, et, quod clementem se dominis exhibiturus esset, respondens, variis denique verborum monstris ludens, risum conuiui omnibus excitabat.*

a) *libr. III. cap. 4. p. 154.*b) *libr. XXXIII. ecl. 2. p. 526.*

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
VALENTINO CHRISTOPHORO WAGNERO

S. P. D.

IO. GEORG. WALCHIVS

Praeclare adhuc TIBI consuluisti in academia nostra partibusque boni cuius egregie satisfecisti. Praeterea enim, quod diligentiae laude apud omnes flores, quorum scholas cum in philologiae et philosophiae; tum fancioris doctrinae disciplinis frequentas, accedit etiam apud te virae honestioris et ad diuinas pariter ac humanas leges compositae studium, adeo, vt non possim non fausta quaeuis et haud vulgares eruditionis ac virtutis fructus de te et patriae tuae, et ciuitati christianaee polliceri. Deus benignissimus gratia sua, quam iesus christus, nobis conciliauit, te semper amplectatur atque efficiat, vt sine vlla offensa metam, quam tibi fixisti, tuto ac feliciter consequaris. Ienae, d. v. maii, CIDIOCCCLXI.

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
VALENTINO CHRISTOPHORO WAGNERO
S. P. D.
IO. ERN. IMM. WALCHIVS

Multa sunt, mi WAGNERE, quorum causa de TE bene sentiunt, qui TE norunt, patriaeque pariter TVAE ac ciuitati christianae praeclara quaeuis haudque vulgares ex TE eruditionis ac virtutis fructus non immerito augurantur. Primum enim sic praeparatus atque instructus ad hanc musarum sedem venisti, vt non optima solum liberalioris doctrinae praesidia, quae academicis litterarum studiis fundamento quasi sunt, conciliasse TIBI; sed assidua quoque optimorum librorum lectione multum profecisse, immo plura in patrii gymnasii subsellis didicisse, viderere, quam iuuenilis aetatis ratio ferre plerumque et capere solet. Deinde vitae tuae academicae initium ita comparatum fuit, vt ad consilium doctrinae TIBI comparandae animum adhiberes virtutis et recti, quod litteratum ciuem deest, officii amantissimum. Quod quidem non satis laudandum propositum sic TV firmiter adhuc tenes, vt neque laborum taedio et difficultate; neque voluptatum blanditiis; neque vitae mollioris illecebris, a recta, quam semel ingressus es, via abstrahi, aut auocari TE, patiare. Quid igitur, si coeptum laudis cursum etiam in posterum tam strenue prosequeris, prosequitur vero TE, tutus ego quidem confido, quid, inquam, aliud patria dulcissima et ciuitas christiana polliceri de TE sibi possunt; quam ciuem TE fore praeclarum et vtilissimum, ex cuius collectis eruditionis opibus multi et eximii ad rempublicam, et coetum sanctiore reddundaturi sint fructus? Hanc de TE conceptam spem publico quasi pignore confirmandam et amplificandam ratus, litteratae pugnae, meis auspiciis ineundae, consilium cepisti, quod quum mihi significares meque certaminis huius socium TIBI exposceres, nolui refragari, cum quod fortunatum horum TVORVM conatum et cum magna TVA laude coniunctum exitum laetabundus praeuideo, tum propter meum in TE officium, quod summum semper mihi esse solet, et quod nunquam patiar vel abs TE vel ab vilo amicorum TVORVM in me desiderari. Itaque laetis TE auspiciis propediem ducam in arenam, certissima nixus spe, laureas, quas TIBI comparaue- ris, multas ipsumque litterarii huius confictus exitum TIBI perhonorificum fore. Seruet TE numen supremum omni tempore saluum atque incolumem, efficiatque, vt omnia ex voto animique sententia TIBI succedant, TVque, ad patrios reductus lares, industriae TVAE amplissimos consequaris fructus. Ienae, d. v. Maii, CIOIOCLXI.

VIRIS
PRAECELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
ATQVE
DOCTISSIMIS
GYMNASII AMPLISSIMI
QVOD
FRANCOFVRTI AD MOENVM
FLORET
RECTORI
IO. GEORGIO ALBRECHTO,
CONRECTORI EMERITO
PETRO REINHARDTO,
CONRECTORI
PETRO PVRMANNNO,
PRORECTORI
IO. SIGISMVNDIO BRENDDELIO,

AC RELIQUIS EIVSDEM

COLLEGGH HONORATISSIMIS

IO. IAC. GOTTLIEB.
SCHERBIO

BENEDICTO SCHILLERO

IO. CASP. ZINCKIO

IO. WILHELM. RYLMANNO,

EMERITO

PH. HELFR. WILLEMERO

IO. CHRIST. APPELLMANNO

D. D. D.

VALENT. CHRISTOPH. WAGNER.

VIRI PRAECELLENTISSIMI
ATQVE
AMPLISSIMI, PATRONI AC FAVTORES
SYMMOPERE COLENDI.



Actatis meae ratio quum adhuc ferret, vt
in gymnasio VESTRO discentium subsel-
lia tererem, iam tum habui constitutum,
demissum animi cultum, quo in vos ferri, totumque me
rapi sentio, publico quodam argumento testatum face-
re. Quo minus vero id auderem, graue docendi mu-
nus VESTRVM, in quo summi Numinis prouida cura
constituti estis, subtimidum prohibere videbatur. Sed

senſim euaneſcere illum timorem pudoremue ſenſi, poſt-
quam oculos, a ſplendore officii meritorumque VE-
STRORVM auerſos, humanitatem facilitatemque
VESTRAM intueri iuſſi.

Omnino mihi videtur indignum, id publice non
proſiteri, quod omnium bonorum vocibus praedicatur,
me ſcilicet omnia fere VOBIS debere. Nam vt CICE-
RONIS vtar verbis, quoad longiſſime poteſt mens mea
reſpicere ſpatium praeteriti temporis, et pueritiae
memoriam recordari vltimam inde vsque repetens, vos
videmini mihi principes et ad ſuſcipiendam et ad ingre-
diendam rationem meorum ſtudiorum exſtiſſe. Quod
ideo meae erga VOS pietatis publicum ſtatuerem moni-
mentum, in animum induxi, id non temere aut impe-
tu quodam, ſed conſilio maturo, rationibusque omnibus
a me factum eſt probe ſubductis. Immo nefas fuiſſet,
hoc non facere, quam primum opportuna ſeſe offerret
occaſio.

Oblata itaque nunc occaſione, ne ingratae mentis
aliqua

aliqua iniusta mihi macula videretur, hancce disserta-
tionem, perpetuum gratissimi animi symbolum,

donec quid grandius aetas

Postera, forsque ferat melior,

omni animi submissione VOBIS consecrare ac dedicare
mihi visum est. Si recondita euoluimus rerum gesta-
rum monumenta, legimus, in conspectum regis Persa-
rum si quis venerit, hunc venerari illum oportu-
isse, quod προσκυνῆν vocant, illique donum offerre.
Quidam autem quum videret, neminem non gra-
tulari regi, se vero in parato nihil, quod tanta maie-
state dignum foret, habere, proximum fluuium conspi-
catus, propere accurrit, haustamque ambabus mani-
bus aquam regi adorabundus obtulit. Qua hominis
urbanitate atque beneficentia excitatus, illico phialam
auream nummis refertam tam iucundo donatori reddi
iussisse fertur. Iam pridem, VIRI DOCTISSIMI, et in-
primis de me meritissime RECTOR, mihi stetit senten-
tia, VOBIS aliquid offerre, gratamque meam signifi-

care mentem. *Mibi vero diu perpendenti quid aut quale VOBIS offerrem, hoc tandem mihi visum est idoneum, EXCELLENTISSIMVM PRAESIDEM, cuius domum incolo, adire, et ab illo petere, ut suae doctissimae dissertationi meum praefigere nomen permetteret, hacque VOBIS dedicata, ingratae mentis notam delere. Ut autem ille homo, aqua oblata, quam ipse non produxit, regis aucupatus est gratiam; sic mihi persuadeo, hac dissertatione vobis dedicata, quamquam a me non exarata, vestram gratiam atque benevolentiam me esse consequuturum. Deus T. O. M. vos omni tranquillitatis genere cumulet, rebusque humanis interesse iubeat quam diutissime.*

NOMINVM VESTRORVM
PRAECELLENTISSIMORVM
ATQVE APLISSIMORVM

Cultor obseruantissimus
VALENT. CHRISTOPH. WAGNERVS
Moenio - Faraucosur:ensis.

Der Kampf ist mir zu schwer, mit Dir, erfahrener Krieger,
Mich schreckt schon eines Streiters Spur;
Geh, nimm den Kranz, und sey mein Sieger,
Ich sechre nicht; ich rühme nur.

Sehen Sie, Hochgeschätzter Freund, diese Zeilen als einen Beweis der Freude an, die ich bei allen für Sie ehrenvollen Begebenheiten empfinde. Ich wünsche mir Glück, wenn ich die Ehre habe zu seyn

Jena
am 16. May
1761.

Der

ergebenster Diener und Freund,
Johann Ludwig Lober
aus Jena,
Gegner.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
VALENTINO CHRISTOPHORO WAGNERO

S. P. D.

IOANNES ANDREAS ZIEHEN

GELNHVSA - WETTERANVS
Opponens.

Quam fratricem habeas, Praestantissime WAGNERE! in colendis Literis Natutam qui TE norunt, vno mecum ore omnes testantur. Ex quo enim ad hancce Musarum, sedem TECUM delatus, TVA coepei familiaritate vti, tot ac tantis ingenii dotibus exornatum TE cognoui, vt in effingendo illo, ipsa quid valeat, periclitata mihi Natura videatur. Neque id solum est, quod in TE mirari bono cuius licet, sed singulare praeterea idque haud vulgare TIBI morum probitate concilias decus, cui si quis alius, TV in primis studere soles: adeo quidem, vt tritum illud Nasonis effatum: didicisse fideliter artes, emolliit mores, nec sinit esse feros,

TVO

TVO ipsius exemplo queas comprobare. Hisce tam insignibus donis indefessum illud accedit studium, quo in indagandis, cum caelestibus, e sacris paginis hauriendis, tum iis veritatibus, quas philosophia non obiter sed penitus hausta, recludit, totum TE occupatum videmus.

Quae omnia quum ita sint comparata, vt longe sufficerent ad meum TIBI animum deuinciendum, amicitiae pretaerea haud fucatae vinculum, quocum necteres dignum me reputasti, atque eo ipso penitus obstrinxisti: quod quidem, crede mihi! tanto mihi haecenus carius fuit, quo ardius olim idem illud optimorum Parentum, qui rerum humanarum turbis exenti, coelesti nunc gaudio afficiuntur, in hac ipsa Academia confociauerat animos.

E litterario, quem nunc meditaris, conflictu, superiorem TE discessurum mens mea omnino auguratur. Non possum itaque, Amice suauissime! quin ex animo, de publico, quod edis, eruditionis specimine TIBI gratuler, simulque quod dissentientis mihi provinciam demandando, testem laudis inde reportandae extare voluisti publicum, gratias agam Faxit supremum quod omnes veneramur, Numen, vt confecto aliquando cursu academico, quum ad patrios redieris lares, et patricae et ecclesiae magno sis ornamento. Dabam, Ienae die XX. Maii MDCCCLXI.

PPAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
HVIVS DISPUTATIONIS DEFENSORI

S. P. D.

CHRISTOPHORVS CHRISTIANVS STVRMIVS

AVGVSTA-VINDELICVS.

Tantus est, Amice suauissime, mentis TVAE in dulces litteras ardor, tanta in TE spectatur TE perficendi cupiditas, vt ne vllis quidem circumscribi limitibus patiatur, sed omni, qua licet, occasione sui demonstret praestantiam. Non enim flagranti litterarum amori satis fecisse TIBI videbaris, si sanioris doctrinae praeccepta cupidissima mente exceperis: quin ardes etiam, vt, quae solide intellexisti antiquitatum sacrarum documenta, promte defenderes. Summopere, crede mihi, TVAM TIBI sortem gratularus, faustas TIBI musas et communes omnium plausus vaticinor. Quod si factum erit, qui me sit felicior aut iucundior, fore nominem, confidas etiam atque etiam velim. Datae XV. Maii A. R. S. MDCCCLXI.



Ukert. Bibl. 8/IX.51.

Tb 4898

f

ULB Halle 3
003 507 459



5b.


ND18

N.C.

Phoy







A6

ATIO TERTIA
DE

VETERVM IDICIS

R. XVI. 16

RESIDE

MAN. WALCHIO

OS PROFESSORE PVBLICO ORDIN
NAE IENENSIS DIRECTORE
DVM ET FLORENTINAE
BARIAE SODALI

II. CIOCCCLXI

TORVM DISQVITIONI
VBMISSA

A
ISTOPHORO WAGNERO
RANCOFVRTENSI

N A E
SCHILLIANIS

10